



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Dictionarium || HARMONICVM || BIBLICVM.|| EBRAEVM.||
GRAECVM.|| LATINVM.|| GERMANICVM.||**

Hutter, Elias

Noribergæ, 1598

Elias Hvttersvs, Stvdioso Lectori Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70172)

ELIAS HVTT-
RVS, STUDIO SOLECTO-
RI SALVTEM.



*H*is multa, imò penè infinita, di-
vina majestatis beneficia, pluri-
maq; humana sagacitatis inven-
ta sint & reperiantur, quibus mi-
serum mortale genus jam indè
post lapsum primorum parentum & Babylonicam
linguarum confusionem; à capitali ruina & inte-
ritu vindicari, pristinaq; dignitati & integritati
resitui possit ac debeat: Nullum tamen aut ex-
cellentius à DEO datum, aut compendiosius ab
hominibus inventum est: vixq; dari & inveniri
poterit: Quam VRIM & THVMIM, Aleph &
Thau, Alpha & Ω. Hoc est, Illuminatio & perfe-
ctio τὸ λόγος καὶ λογεία: Et per consequens lingua & scri-
ptura sancta & immaculata, sanctis patriarchis,
Prophetis & Apostolis divinitus revelata, nec non
artificiosa, absoluta, solida, certa, simplex eandem
docendi, discendi, tractandiq; scientia. Et ea qui-

:(: 2

dem,

Ad lectorem.

dem, qua veritati cœlestis doctrina indaganda, fideiq; Christiana, Orthodoxa, Catholica & Apostolica longè latèq; illustranda & propaganda via sternitur. Hujus argumenti veritas & certitudo, et si, omnium rectè judicantium suffragio, tam manifesta est, ut nulla probatione indigeat: et tam firma, ut nulla calumniarum machina everti queat; tamen hinc vel maximè convincitur: Quod DEVS ipse, Adamum protoplastum in Paradiso ante lapsum de prima vocabulorū impositione, post lapsum de venturo semine benedicto: Abrahamum in Vr Chaldeorum & in terra Canaan, atq; Mosen in monte Sinai, viva voce & scriptis de voluntate & misericordia sua abundè instruxit: Tum quod omnes Monarchia temporales, Chaldaorum nimirum, Persarum, Græcorum, Romanorum, (ut de aliis particularibus regnis & benè constitutis Rebus pub. taceam) mera linguarum scripturarumq; schola & doctissimorum hominum collegia fuerint: ac in hoc unicum quasi omnes conspirasse videantur, ut particulam Vr̄im & Thummim, peculiarem nempe sibiq; propriam linguam & scripturam restituerint, & cum ea DEI opt. max. gloriam & veram religionem diu multumq; obscuratam oppressamq;

Ad lectorem.

pressamq³, subitaneo & plusquam inopinato impetu per totum terrarum orbem illustrarint & propagarint, ut ex Danielis, Esdra, Chaldaeorum, Persarum, Gracorum, Romanorumq³ historiis manifestè conspicitur: Tum quod etiam ipse Rex Regum & Dominus Dominantium, Dominus & Servator noster IESVS CHRISTVS, DEI & Mariae filius, Monarchiam suam spiritualem, non una saltem, sed omnibus linguis, in festo Pentecostes Spiritus Sancti missione miraculosè illustravit & confirmavit: Confirmatamque frementibus contra & repugnantibus inferorum portis & organis, ad nostra usq³ tempora conservavit, & ad nos GERMANOS propagavit. Dubio procul hoc ipso nos ad linguarum scripturarumq³ capessenda studia alliciens, admonens, excitans: majora imò maxima daturus, si pondus & talentum nobis concreditum ita collocaverimus, ut cum fructu & usura copiosa ad ipsum revertatur Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, cui sit laus in secula. Magna & admiranda huiusce rei seria consideratio, quæ vel claudum & truncum excitare debeat, si saltem homo sit; penes me effecit hætenus, ut posthabitis & postpositis rebus

Ad lectorem.

Et studiis meis omnibus, jam ultra viginti annos, maximo conatu, Ego licet omnium minimus, maximum maximeq^{ue} necessarium molitus sim semper Et adhuc moliar Opus Vrim Et Thummim, Illuminationis Et perfectionis Methodi, Linguarum scripturarumq^{ue} HARMONIAM Et SYMMETRIAM. Vtramq^{ue} Biblicam et Grammaticam, qua Ebraea, Graeca, Latina, Germanica, atq^{ue} alia Linguae Et scripturae, etiam si centum aut mille fuerint, Quoad Orthographiam, Prosodiã, Etymologiam, Syntaxin, Substantialem vocabulorum impositionem, Accidentalem eorumq^{ue} Inflexionem, Regularem Et Irregularem, Partium, Specierum, Accidentium Syzygiam, Additionem, Subtractionem, Resolutionem, Contractionem, Transpositionem, Commutationem, Novo Cubi, Globi, Crucis Et Quadrati compendio, ita convenient ut unã eademq^{ue} ratione Et Methodo doceri disci tractariq^{ue} possint. Cujus beneficio ingeniosus, pius Et diligens sapientia Cultor, aspirante gratia DEI, Et natura non repugnante ordine, annuo temporis spacio, ac pro diversitate aetatis Et ingenij biennio, triennio, tantum discendo consequi valeat, quantum vulgari docendi remora vix integro decennio: Vera

scribo,

Ad lectorem.

scribo, non *ἰσαροδικῶς*: Absit invidia dicto: absit
omnis jactantia opinio: res ipsa loquatur. Hujus
nunc operis minimam particulā, **DICTIONARIUM**
HARMONICUM BIBLICUM Ebraea, Graeca, Lati-
na et Germanica Linguarum, ut vides, simplex, si-
ne fūco, ad te transmittō: Alia fortassis majora &
splendidiora Orthographica, Prosodica, Etymolo-
gica, Syntactica, Ipsamq; Harmoniam Biblicam,
Auxiliante DEO, & bonorum virorum patrocinio,
primo quoq; tempore editurus. Interim, amice &
candide lector, hocce opusculo in timore Domini
utere, fructuere, & si quid boni ex eo perceperis, DEO
ascribe, meiq; memoriam cum benevolentia retine
& benè vale. Noribergæ 6. Maij, Anno 1598.



